

Franciscus Neumayr

‘Titus Imperator’

Tragoedia
(1731)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
September 2007

Argumentum

Titus, Vespasiani filius, Princeps vere amabilis fuit, quia omnium amans. diem perdidisse se credidit, qua nemini benefecisset; nec unquam passus est aliquem a se tristem discedere, solis quadruplatoribus infensus et illis, qui per vim aut fraudes subditos afflixissent. hos ille saepe flagris publice coedi aut pro mancipiis venundari iussit. nunquam tamen clarius Patris affectus eluxit, quam cum malis publicis populi urgerentur. nihil tum Princeps aerario suo, nihil fisco parcebatur; quin ipsa praetoriorum suorum ornamenta aliquando sub hasta vendidit, ut haberet, unde civibus triduano incendio ad extremam inopiam redactis posset succurrere. beneficentiae clementiam addidit vere heroicam et adeo abhorrentem a sanguine, ut hanc unam ob causam Pontifex Maximus esse voluerit, ne cogeretur cuiusquam morti subscribere. insidiis cum a Fratre et duobus Patritiis peteretur et detecta fuisset coniuratio, nihil aliud Patritios, quam ut desisterent, monuit, et imperium fato dari cogitarent; Domitianum vero praeterea Collegam Imperii et haeredem dixit, secreto tantum rogatum, ut mutuo erga se animo esse vellet, dignissimus adeo, qui gloriosissimo inter omnes Imperatores elogio posteris innotesceret et ‘Amor ac Deliciae generis humani’ appellaretur. (Suetonius)

Personae

Titus	Imperator	
Domitianus	Frater	
Fabius		
Aemilius	Patritii coniurati	
Gracchus	Tribunus plebis	
Paulinus	Militiae Praefectus	
<Tubicen>		
<Agasones>		
Legati Campaniae <II>		
Servus Fabii		
Ephebi	ex Patritiis recens adsciti, <Filioli Patritiorum> <Camillus>, <Rutilius> <Brutus>, <Lentulus>	
<Phoebus>	<Diana>	<Admetus>
<Boreas>	<Apollo>	<Pastores>
<Nymphae Rhodiae>	<Cyclopes III>	<Musae>
	<Vulcanus>	<Aesculapius>
	<Faunus>, <Fauni>	
	<Venatores>	

Prologus

Phoebus, Boreas, Nymphae Rhodiae

Honores divinos a Rhodiis obtinet Phoebus per beneficentiam, quos per terrorem potentiae Boreas nullo successu affectat.

Theatrum exhibit Insulam, circum quam Nymphae navigant laetae. in medio videtur Colossus Rhodius.

- Ny. I. Sorores lectissimae,
Quam bene nobis est undique!
Abundant omnia,
Vota ipsa Coelum superat
Profusum in Insulae commoda.
- Ny. II. Nempe nihil eorum deest rebus,
Quibus Deus est Phoebus,
Deus optimus, beneficentissimus.
- Ny. III. Deus, qui diem perdidisse se crederet,
Serena nisi facie Rhodum aspiceret.
- Ny. IV. Beati non esse non possunt subditi,
Si Principem habeant, qui metuit metui
Et unice cupit diligi.
- Ny. I. Amantem amemus
Et quotidianos favores
Quotidianis laudibus celebremus.
In littus exscendunt.
Votiva carmina
Accipite, Montes et Nemora.
- Ny. II. Repetite!
- Ny. III. Multiplicate!
- Ny. IV. Propagate!

Chorus <Nympharum>

- Ch. I. I. Vbertas haec agrorum,
Ch. II. Haec gaudia hortorum,
Ch. III. Hae vineae, haec praedia,
Ch. IV. Tranquilla semper maria,
Omn. Hoc robur corporum,
Hic vigor mentium
Sunt tua, Phoebe, munera,
Sunt tua gratia.

II. Amamur et amamus;
 Amorem consecramus,
 O Phoebe, tuo Numini
 Tam bono, tam amabili!
 Tu sacrificium
 Nostrorum cordium
 Benigni vultus aureo
 Dignare radio.

- Ny. III. At heu! sorores! quid video?
 Quam tetra repente
 Nostro vertici nubes impendet!
 Heu, quid mutatio tam subita mali portendet?
- Ny. II. Nil metue: quam agri sitiunt,
 Quam segetes cupiunt,
 Effundet haec nubes optabilem pluviam.
- Ny. III. Falleris: nam video procellis
 Et grandine gravidam.
- Ny. V. Et - proh Superi! - iam incipit mare tumescere!
- Ny. VI. Quin et terram sentio - et quid hoc erit? -
 Sub pedibus tremere.
Prodit Boreas cum comitatu.
- Omn. Heu! Boreas! Boreas! fugimus!
- I.-III. Iuvate! mergimur! perivimus!
- Omn. Phoebe, Deorum optime,
 Nunc tua dona protege.
Fugiunt in naves. Colossus concidit, grando omnia populatur.
- Bor. Iacet, quem invocas, turba imbellis!
 Iacet, quem invocas:
 Potentior est Boreas.
 Discant mortales hoc Numen vereri
 Et sciant me parem cum Phoebo honorem mereri.
 Fugerunt; satis est: timemur!
 Et quem metuunt - plaude, Borea -,
 Flectent - velint, nolint -, flectent illi genua.

Aria

*Per dona amores venari,
 Per dona honores mercari
 Imbellium
 Est mentium;
 Heroes stratorum
 In strue murorum
 Ad sydera efferunt se.
 Amorem nil iuvat mereri;*

Sed esse, qui possis timeri,
 Eximia
 Est gloria,
 Quae plures Deorum
 In culmen honorum
 Evexit et evehet me.

Nymphae in navibus redeunt, subducit se Boreas.

Et en! redeunt; an ut aras exstruant?
 Et victimas offerant?

Ny. I. Heu! rerum facies misera!
 Ny. II. O maledicte Borea!

Boreas revertitur.

Bor. Vah! obstinatae! nondum intelligitis, fatuae,
 Quantae sint vires Boreae?
 Iuro, extrema patiemini,
 Nisi adhuc hodie stet ara meo Numini.

Ariose

Bor.	Occidam pecora! Evertam nemora! Submergam totam Insulam! Non colitis? Non flectitis? Honori meo debitam Non victimam mactatis?	Ny.	Occide pecora! Everte nemora! Submerge Insulam! Si rumperis, Nil efficis: Non lubet dare victimam Insanis postulatis.
------	--	-----	---

Aria

Ny. I. Est vanus,
 Qui coli se cogit tyrannus.
 Rex bonus contemnit honorem,
 Cui iunctum non videt amorem;
 Quae corde caret hostia,
 Non placat Numina.

Latrones

Et Afros colamus leones,
 Si aras et thura meretur,
 Qui propter furem timetur;
 Subesse praestat tigridi
 Quam saevo Numini.

Bor. Fatigata est mea patientia.
 Ergo rursum congregamini, nubila!
 Evertimini, maria!

Recrudescit tempestas.

Periistis,
Nisi vobis alius hoc momento est animus.

Chorus Nympharum

Ch. Phoebum nos colimus!
Boream spernimus!
Phoebe, nos adiuva!
Phoebe, te vindica!

Phoeb. Adest Phoebus post nubila.

In curru solari vectus.

Quis hic est furor, Borea?
Vt ego ...!
Sed praestat afflictas solari!
Tu sine mora Insulam desere,
In Scytha et Sauromatas furorem exere.

Ch. Deum miserum!

Ny. I. At ibi saltem habebit honorem altarium?

Phoeb. Habebis, si naturam exuas,
Si cesses esse Boreas.

Bor. Rumpor!

Furens abit.

Ch. Rumpere!

Hoc decet fato
Furiosum Numen occumbere.

Ny. I. Sed iam huc, Phoebe, oculos coniice!

En, tua Statua!

Ny. II. En, mea Lilia!

Ny. I. Et Segetes!

Ny. III. et Vineae!

Ny. V. Et Merces et Divitiae!

Ny. VI. Vix enatavimus in nuda tabula.

Phoeb. Miseratio mea tangit viscera.

Tergite lacrymas: restituam omnia.

Fit pluvia aurea.

En, meliores pluviae!

Ite! guttas aureas excipite!

Ch. O Numen amabile!

Phoeb. Ite! colligit!

Haec mea est politica,

Haec una regenti regula:

*Cura, ut ameris! et amaberis,
Si amaveris.*

Aria

Rex bonus Regi syderum
 Sit Phoebo similis;
Sit amor, sit delicium
 Humani generis.
Rex potens est, ut *possit*,
Rex bonus sit, ut *velit*
 Iuvare plurimos.
Qui hanc observat legem,
Felicem dico Regem,
 Felices subditos.

Actus primus

Scena prima

Titus, Domitianus, Gracchus,
Camillus, Rutilius, Brutus, Lentulus,
Duo Legati Campaniae, supplices Cives incendio affliti

Bustum urbis adhuc fumantis prospicitur.

- Gracc. Miserere, Caesar!
Omn. Miserere!
Titus Tristis aspectus, Frater! Proceres! ... horridum spectaculum!
Dom. Sic placuit Diis furere. ferendum.
Omn. Miserere, Caesar!
Titus Misereor, cives mei! oculi vulnerantur et animus, moventur visceræ! Pater sum, ah! cur Deus non sum, qui iuvat verbo!
Dom. Sic est. Coelum, Iupiter, Dii fatigandi clamoribus! iuuent, qui damnum fecerunt et levare momento possunt.
Titus Atqui, Frater, Iovis personam Titus in terris habet. meum est iuvare.
Civ. I. Perii totus, nisi me, Caesar, iuvas.
Civ. II. Omnes meae opes in cineres subsiderunt.
Civ. III. Vix seminudus evasi furentem flamمام.
Civ. IV. Vna me hora ex opulento egenum fecit.
Civ. V. Mihi calamitas non opes modo, sed etiam charissimum filium abstulit, sub domus ruina sepultum.
Omn. Miserere, Caesar!
Gracc. Huc admovete genua.

Porriguntur libelli supplices varii.

- Cam. Hanc etiam miseram turbam, Auguste, respice.
Titus Quam vos miseriam gemitis?
Rut. Nobilium parentum filii sumus, quos luctus prohibet prodire in publicum.
Brut. Ad incitas per atrox incendium redacti, Patres iam non habent, unde nos alant honeste.
Omn. Miserere, Caesar!
Titus Surgite! ego alam. vultis paternam domum mutare cum aula?
Lent. Volo, si velit parens.
Titus Ite et veniam poscite.
Dom. Inutili turba implebis Palatium?
Titus Frater, quibus ego non indigeo, ipsi indigent me.
Parvuli *omnes* Vive, Auguste! aurea vive saecula!
Leg. I. Infelices etiam Campanos dignare, Caesar, clemente intuitu!

- Titus Ah! scio, amici, scio, furens Vesuvius miseram Campaniam fecit.
- Leg. II. Sic est, Auguste! late agros exussit igneus torrens: squallent vastati agricolarum labores, tota regio sub effusis cineribus moeret.
- Leg. I. Neque solus in nos Vesuvius soeviit. cum tetra incendia eiectaret mons, simul concussa terrifico tremore tellus, turres, palatia, opida, civitates prostravit. iacent sub acervis congestorum lapidum totae familiae cum omnibus fortunis tumulatae. quanquam, quid multa verba facimus? Auguste! si, quae narravimus, usurpares oculis, lacrymas non teneres.
- Titus Etiam audita movent. Pater non est, quem nullae afficiunt liberorum aerumnae, nisi quas videt. solabor, ut possum. consultandum de modo. post paulum redite ad me. vos, cives, hoc scitote: quid quid incendio periit, periit mihi. faxo, ut sentiam damnum solus.
- Cives Io! vive, Auguste! aurea vive saecula!
- Titus Gracche, quid ad afflictorum solatium fieri iusserim, ex Paulino intelliges. exequere cito.
- Gracc. Ad nutum.

Clauditur prospectus busti.

Scena secunda

Titus, Domitianus

In aula.

- Titus Tu, Frater, quibus oculis has miseras vides? quibus auribus querelas audis et gemitus? nam quid sibi iterum hoc triste silentium velit? rursum te affligit haec cura, quam pro afflictis gero? ec quando mollescit rigidum pectus et patientibus compati disset? ec cur tibi mea beneficentia displicet? ego, Frater, sic existimo optare, ut talis sit erga subditos Imperator, qualem optaret esse Imperatorem sibi, si esset subditus.
- Dom. Ego tamen modum in largiendo facerem, si essem Titus. concham me esse crederem, non canalem. canalis, quam accipit aquam, effundit continuo. itaque nunquam impletur ipse, saepe siccatur etiam. concha tenet; nec, nisi quae superfluunt, guttas arentibus herbis tribuit, semper abundans.
- Titus Verum, cum herbis non sufficiunt guttae, nonne conchas totas effundit prudens olitor? incendium cogita: nulli puteo parcitur. quid quid uspiam aquarum est, confertur in bonum commune. huic est natus Princeps, non sibi, indignus suo nomine, si nescit, Regem propter subditos esse, non subditos propter Regem.

- Dom. Bene hoc quidem, si voluntati adsit facultas par. atqui exhauries aerarium per tantam beneficentiam. non ita decet. pecunia belli nervus, pacis nutrix, custos est Maiestatis. contemnunt populi Principem pauperem.
- Titus Pauper non est, qui divitibus imperat et amantibus sui. opes meae tutius depositae sunt in cistis subditorum quam in aerario, quod raro exhaerit Liberalitas Principum, saepius expilant vitia. si diligor, non modo bona populi mea sunt, sed etiam sanguis et vita. at nihil me iuvat aurea Neronis domus, si exosus sum meis et veluti pestis aut bellum inter publica mala numeror. parcamus, Frater, superfluis sumptibus et pompa inani: ita habebimus, unde semper possimus egenis succurrere. quid me ostentatio Maiestatis afficiat? non aedicata amphitheatra, non edita spectacula, non peregrinae belluae emissae in circum posteris commendabunt; amor populorum, amor me faciet immortalem. optimus sit, oportet, qui cupit esse maximus.
- Dom. Enimvero res grandis, amari a vili plebecula! res digna, quam tanto pretio et regiis thesauris emas! cessa tonare, Iupiter; sepone fulmina! amore regendi sumus!
- Titus Sic est, Frater, amore nos regit Iupiter; neque est timendus nisi rebellibus. quanquam et contumacibus quam diu parcit, ut beneficentiae clementiam iungat? crede mihi, per hanc geminam laudem facimus nos similes Diis. nihil habet Principis fortuna melius, quam ut possit, nihil natura, quam ut velit benefacere plurimis. sanguine pascuntur ac crescunt leones et ursi. itaque fugiuntur et odio sunt. dignitas regia hoc solum amabile habet, quod possit amabilem facere. neminem oportet a Principe tristem discedere. iuvandus est, quisquis rogat, ut sentiat, se Patrem rogasse. hanc mentem si aliquando indueres, Frater, non adeo tibi ultra Titus videretur indignus Imperio.

Abit.

Scena tertia

Domitianus, Fabius unus ex coniuratis

- Dom. Impera, Frater! ecce! ‘non adeo tibi ultra Titus videretur indignus Imperio!’ nempe delatus sum.
- Exit Fabius.*
- Quid agimus, Fabi? ego mihi Fratri de scelere suspectus videor. notas mali ominis in vultu legi; et vox, asperior solito, plus significat, quam verba sonant. quis prodidit nostra consilia?
- Fab. Si proditi sumus, Princeps, ignosce, a te ipso sumus. nam quid dissimulem in tanto periculo? nimium naturae obsequeris. ambitio in oculis emicat, furor incendit vultum, ira linguam incitat: quid de proditore interrogas?
- Dom. Nempe ex assentatoribus me esse cupis?
- Fab. Haud sane! sed si laudare non placet facta Fratris, saltem non vituperasses. dissimulatio ars est aularum inter innocentissimas una.
- Dom. In Ministris toleranda forte, sed non in Fratre, qui amat Fratrem.
- Fab. Hei! laudate amorem, Dii, quo Frater Fratri imperium invidet.
- Dom. Prope iam poenituit, Fabi; nam inanis, puto, conatus erit. fac enim, per Fratris cadaver in solium scandam; num Roma patiens feret?
- Fab. Nimirum tu Romam times? quippe qui nescias, multa patere scelera, quorum auctores latent? sero poenitet, postquam coepisti suspectus esse.¹ non sistit auriga currum, quem semel in praeceps dedit. quod agimus, agamus cito! quid in Hispania cogitas agere, quod potest agi Romae?
- Dom. Matura ad facinus consilia habes?
- Fab. Si tu maturum animum. erigere in magnas spes: hodie peragetur Tragoedia.
- Dom. Quae caedis occasio? quis modus?
- Fab. Tutius haec in cubili doceam.
- Dom. Ingredimur.
- Fab. Prosepar statim, si prius liceat tria verba Aemilio loqui.
- Dom. Quid illi tecum?
- Fab. Explorare iuvat, quid hodie aut ubi acturus sit Augustus.
- Dom. Sic age. ego odi hominem omnium arcanorum Fratris prae Fratre conscient, quia magis popularem. huic et pluribus aliis hodie necesse erit mutare vultum et reverentius inclinare se mihi.
- Fab. Certe hodie; nam nisi celeriter obstruimus fontem tantae profusionis, haeres eris exhausti Imperii.
- Dom. Intellexi. age gnaviter.

¹ *In Hispania volebat Domitianus Titum bello persecui.*

Scena quarta

Fabius, Aemilius alter ex coniuratis

- Fab. Agam in meum commodum et tuam perniciem.
- Exit Aemilius.*
- Te volebam, Aemili: nunquid ab Caesare venis?
- Aem. Ab Caesare.
- Fab. Quid acturus est hodie?
- Aem. Princeps est, Fabi, dignus annalibus. ah! quo rapimur, amice! vivat per nos Princeps, quem immortalem optat Romanum Imperium.
- Fab. Vah! quae vox me attonat?
- Aem. Quam excutit horror animi stupentis audaciam suam et propinquiscieleris cruentam faciem.
- Fab. Quid loqueris, miser? repente adeo evanuit splendor Imperii?
- Aem. Perstringunt oculos radii diadematis; per tela et enses cuilibet rapiam, sed non Tito.
- Fab. Nam quid adeo mentem mutavit?
- Aem. Titi bonitas, ipse nosti. sed quanta nunc splendet! publica mala, quae affligunt provincias, velut propria sentit. nunc accingit se sacrificio, quod Iovi hodie in Capitolio faciet, ut deprecetur, testatus saepius se quoque victimam esse velle, si ita Diis placeret.
- Fab. Magna anima! sed quos selegit pompa comites? nam solenni utique supplicatione procedet?
- Aem. Minime. ludos nunc populo dabit; deinde in forum adducet, ubi ornamenta praetoriorum omnia iubebit sub hasta vendi. iamque onerantur muli picturis, vasis, tapetibus et, quae sunt alia Maiestatis parerga.
- Fab. Ecce! huc adigit hominem plebeia ambitio!
- Aem. Interim solus ascendet in templum, solos habiturus comites Ephesos nunc recens adlectos, quos me iussit accersere, causatus, innocentium calamitate proposita facillime Deos moveri.
- Fab. Prudenter et ex obligatione Pontificis Maximi, cuius munus suscepit. et nulli erunt Flamines Ministri rituum?
- Aem. Erunt pauci, quos iam iussit moneri.
- Fab. Bene omnia. iam tu hoc scito: hodie peribit Titus, hoc fixum; et donec perierit, tu nusquam abibis ab isto latere. hem! quo est ventum? paulo ante amicum, iam cogor proditorem timere!
- Aem. Ridiculum! tune dubitasse me serio credas? sic Aemilium nosti? errare desine. te exploravi. me quod attinet, quid faciam? trepidare Caesar incipit et suspicari malum. non latebimus diu. sic in laqueos pedem indui; nec extricabor, nisi incidam. haud licet iam ire retro.

- quod nuper suasit spes, nunc urget desperatio: perii, nisi pereat Titus. iacta est alea. tuus sum.
- Fab. Vive fortis! sic dignus es, cui tandem revelem arcanum, celatum hactenus.
- Aem. Age!
- Fab. Sub Domitiano latebimus.
- Aem. Accessit partibus?
- Fab. Totus.
- Aem. Dudum visus est sitire fraternum sanguinem.
- Fab. Dabo hodie pocillatores.
- Aem. Quo nostro fructu?
- Fab. Maximo.
- Aem. Nullo. nam ipse rapiet coronam sibi.
- Fab. Imo cum Fratre cadet.
- Aem. Hoc opus, hic labor novus.
- Fab. Vix aliquis. nempe Titum amat populus, amat exercitus. utrique patratam caedem nos nuntiabimus auctores pariter et duces vindictae contra scelestum Fratrem. crede mihi: ruet in arma populus, peribunt sicarii, perimetur Domitianus; nos Patres Patriae, nos Cæsares, nos Dii erimus.
- Aem. Eia! elegans nodus fabulae, quem nemo solvat, nisi adductus per machinam Deus. amo te, Fabi! en dextram!
- Fab. Age personam strenue. cum catastrophe bene cesserit, clamabimus ‘plaudite!’ et duorum capitum impendio omnium capita inclinabimus nobis. sed Gracchum video.

Scena quinta

Personae eaedem et Gracchus cum tubicine

- Gracc. Hic tuba insonet.
- Aem. Nempe ad ludos convocas populum, Gracche?
- Gracc. Certe ad ludos, quibus laetiores vix viderit Roma.
Ad tubicinem. Tu iam urbem reliquam recrea. Orbilius Causidicus, et Laelius iudex agent<ur>, flagris caedendi palam et voenum exponendi in medio foro. qui triginta sestertios dabit, habebit utrumque servum.
- Fab. De quo crimine damnantur rei?
- Gracc. Orbilius viduae pauperis causam malis artibus oppressit, Laelius rustico fecit iniuriam. convictus uterque de vi et dolo has poenas dabit, cum plausu populi, qui Augusto iusto et pio meritas laudes dicet.

- Fab. Gravis poena pro culpa levi.
- Gracc. Scilicet se laedi credit Caesar, cum membrum corporis laeditur, cuius ipse est caput. itaque Fratrem etiam pro reis precatum accidentem ne admisit quidem.
- Aem. Domitiano, ahs, negavit alloquium?
- Gracc. Aio. ille furit et questibus aulam implet.
- Fab. Pro more et indole!
- Gracc. Pro! quam nactus est dissimilem Fratri!
- Aem. Avertant Superi, ut non lugeat id Roma brevi!
- Gracc. Precamur Coelites, ut vivat et regnet Titus superstes diu.
- Fab. Optandum. sed timeo Domitianus ingenium ferox.
- Aem. Forte atrociora iam suscepisset pridem consilia, nisi nostram timebet fidem.
- Gracc. Sic vos Roma amet. pergit vigilare saluti communis Patris.
- Aem. Nihil omittemus; et si gravius quid suspicabimus, tuam, Gracche, et populi appellabimus fidem.
- Gracc. Etiamsi petatis sanguinem, fundemus totum.
- Aem. Nunc age ludos tuos.
- Fab. Sed Orbilium et Laelium, nolim ut alteri quam mihi vendas. emptos Domitiano donabo, ut sit pacatior. gratis habeat sibi, quos precibus petiit.
- Gracc. Consilium bonum.
- Fab. Et in praetoriis quid agitur? iam nuda sunt?
- Gracc. Penitus. hoc ipsum etiam praeco nuntiat. mox exponentur pretiosae merces in campo Martio. beneficium est omnibus futuris saeculis admirandum. sed eundum.
- Aem. Perge.

Scena sexta

Fabius, Aemilius coniurati

- Fab. Ad votum omnia. populus in foro erit, Titus in Capitolio; ille absorptus laetitia, hic intentus religioni, cum paucis et inermibus, prope solus. cudamus, dum calet ferrum et furit Domitianus. ego illi Orbilium et Laelium dabo. recens dolor, vindictae rabies, spes libertatis in omne facinus viros trahent. tu, Aemili, cum audita caedes fuerit, procure ad populum, ego ad milites ibo: in aula Domitianus, in templo sicarii cadant. sic fiet, ut extra periculum, imo et quaestionem simus.
- Aem. Prudenter exacta sunt omnia. Ephebos advoco.
- Fab. Ego, quae sit facies rerum, Domitianum admoneo.

Scena septima

Personae eadem et Servus Fabii

Exit Servus.

- Serv. Domine, missus ex aula famulus ad aedes venit. vocaris ad Caesarem.
- Fab. Ad Caesarem ego? quid est negotii?
- Serv. Incertum.
- Fab. Bene est. tu vero in forum perge et eme servos, qui vaenum prostant.
- Serv. Domum ducam?
- Fab. Domum. Aemili, vere hoc dictum est: posuit haec Deus simul, peccatum et timorem. tremesco totus.
- Aem. Fingenda securitas vultu, cum pectus palpitat.
- Fab. Sic nos periment lenta consilia. nam cur nunc citor?
- Aem. Metuo. sed parendum. tene constantiam modo et cave, ne pallor oris aut linguae tremor conscientiam prodat.
- Fab. Necessitas hanc legem scribit difficilem recens reo.
- Aem. Facilem metus faciet maioris mali. impera tibi.
- Fab. Conabor. tu vigila, amice, mihi et tibi et, si quid peius mihi contingisse audieris, destinata cum Domitiano exequere cito.
- Aem. Cum Domitiano nempe, qui mihi confidit nihil, odit etiam?
- Fab. Commune periculum amicum faciet. credet se tibi, si tu te ipsi.
- Aem. Confundor totus. perge modo: suggesteret consilium tempus. mihi ante omnia adducendi sunt nobiles pueri.
- Fab. Inferi! victima vobis Titus cadet, si nunc evado.

Saltus.

Actus secundus

Scena prima

Servus Fabii, Gracchus, Cives, Sicarii, Paulinus,
Agasones, <Duo> Legati Campaniae

Loci mutatio pro novo actu non est nova. ex aula prospectus est forum, in quod muli aulae ornamenta vendenda deportant.

- Serv. Decem, quindecim, viginti, viginti quinque, triginta.
Gracc. Tui sunt. abduce illos. vos discite per experientiam, quam misericordia digni sint miseri.
Civ. I. Nos plaudimus pio et iusto Caesari!
Omn. Pio ac iusto bene sit! vivat! perennet!
Paul. Merito acclamatis. ingrediuntur etiam onusti iam ornamenti praetoriis muli Caesarei. in campum Martium pergit: ibi fiet venditio. sic vos amat Caesar.
Civ. II. ‘Amor et delicium nostrum’, Caesar vivat!
Omn. Vivat!
Paul. Quin, ecce, adsunt.

Prodeunt muli. abeunt Cives.

- Omn. ‘Amor et delicium nostrum’, Caesar vivat!
Leg. I. Quae iubila audio inter tantas calamitates?
Paul. Tota calamitas Caesarem premit. en! ipse egere mavult quam egenis imperare.
Leg. II. O verum Patriae Patrem!
Leg. I. Bonitas excedit modum.
Paul. Nam quis unquam talia aut legit aut audavit de Principe?
Gracc. Felix posteritas, cui tantum exemplum Reges pariet heroicae charitatis aemulos.
Leg. I. Estne, amice, inter Deos aliquis Tito par?
Paul. O quanto iucundius splendent sic nuda praetoria, quam nitebant ornata! sic spoliata palatia supra omnia mundi miracula clarescent orbis. sed mihi curandum in foro est.
Gracc. Mihi vero Princeps adeundus et referendum de venditis reis.
Leg. II. Quin tu nostram quoque praesentiam nuntias; nam adesse iussit.
Gracc. Nuntiabo.

Clauditur.

Scena secunda

Duo Legati Campaniae, Domitianus

- Leg. I. Quantum est, amice, Coeli beneficium Princeps bonus! soli optime comparavero, cuius aspectus omnium oculos et animos recreat, solis bubonibus gravis.
- Leg. II. Et contra quam crudeliter puniunt regna Dii, cui Regem imponunt malum! cometa est, cuius vel intuitus terret, horridarum calamitatum praesagus.
- Exit Domitianus.*
- Dom. Etiam vos adhuc video hic moras trahere? exactores molesti! quo usque ferali ululatu fatigabitis Caesarem?
- Leg. I. Bonitas, Princeps, audaces facit.
- Dom. Quin aperte dicis, impudentes. omnes aurifodinae vix sufficerent tot mendicabilis. miror, viros nobiles causae tam plebeiae patronos agere. sinite conflictari Campanum vulgus cum miseriis suis: non habebimus subditos modestiores, nisi cum miseri sunt.
- Leg. II. Nimis durum est, Princeps, pati et habere neminem, qui compati velit. durus Princeps duros subditos facit et in omne facinus obstinatos.
- Leg. I. Humanum in homines imperium sit. belluae fiunt, si sentiunt, se tractari pro belluis.
- Dom. Haec scilicet iactatis ad ingenium Titi. cum imperabit Domitianus, mutabitis frontem et linguam adulatores Protei.
- Leg. II. Nos vero optamus, Princeps, ut, cum Fratri successeris, putemus non successisse, sed esse.
- Dom. Vota inania! cum imperabo, nihil ero sollicitus, quid vos optetis.
- Leg. II. Pauci igitur erunt, qui optent, ut imperes.
- Dom. Si timeant, satis est. sed quid expectatis denique? pauperem se Caesar sua in pauperes beneficentia fecit, et nondum est quies?
- Leg. I. Multa possunt Principes, etiam cum videntur nihil posse; neque quod datur subditis, perit, sed spargitur in sementem.
- Dom. Imo saepius luxuriat in herbas noxias. quid multa, viri! ego profusam Fratris in promiscuum vulgus beneficentiam probare non possum; et erat vestrum, consiliis et opera prodigalitatem inhibere, non incitare. foveri nobiles, probo. serviunt splendori aulae et Caesaris Maiestati. at cives et rustici iumenta sunt, quibus praeter paleas et stabulum et verbera debetur nihil.
- Leg. II. Ah! Princeps! non ita velles agi tecum, si unus de civibus aut ruricolis esesses.
- Leg. I. Videris sane nondum expertus esse, quam suave sit amari a subditis, etiam ex plebe. res dulcissima, esse homini Deum et omnes in

se cordis affectus rapere. hoc tributum iucundum est et cogitur per violentiam, quam nemo odit. vel Dii maius aliud exigere nequeunt aut optare etiam, quam amorem, tanto beatiores, quanto amantur a pluribus.

Dom. Ecce, hoc est, quod dixi. haec sunt vestra axiomata, quibus vos ad ingenium Fratris componitis, ut placeatis; sed veniet dies, cum mutabitis mentem.

Scena tertia

Personae priores cum Tito, Graccho ac Fabio

Prodit Titus.

Titus In tempore te offers, Frater! memini, te paulo ante deprecatorem pro Laelio et Orbilio accessisse ad me. non audivi tunc preces. sensisti acerbe, adverti satis; sed quid agerem? satisfaciendum postulatis iustitiae fuit, quam amo pro Fratre. sic me Principem voluerunt Dii, ut benefacerem populis, non ut male. puniendi erant ergo, qui potestate vicaria abusi sunt ad iniuriam miserorum. nunc, postquam clementiae potest esse locus, vide, quantum fraternalis precibus dem: liberos esse volo. provinciam, quam mavis, nomina, Frater, in qua ignoti et sine infamia idoneo fungantur officio. premium Gracchus reddidit; tu homines huc siste, Fabi, ut sciant, cui se debeant. deinceps te accinge imperato itineri.

Fab. Adoro nutum.

Titus Sic age, ut te populus amet. placebis Augusto, si populo. quem enim odit populus, ab illo vix credo curari bonum publicum, sed suum, quod mercatorum est, non Principum aulae.

Fab. Intelligo.

Dom. Ego tibi gratias debeo, Auguste Frater! fateor, huc me ferebam querendi causa propter negatum alloquium; sed offusam amaritatem abstersit non expectata humanitas. accepto donum.

Titus Opto, Frater, ut preces similes saepius iteres. animi sunt miseros miserantis. vobiscum, amici, cras iter in Campaniam suscipiet Fabius, exploraturus, quantam cladem incensus Vesuvius fecerit. opes eorum, qui sine haerede perierunt, non fisco adjudicabitis, sed dividetis inter eos, quos calamitas fecit egentiores. deinde iussus est, pro aestimatione miseriae oppida et urbes afflictas ab omni exactione et tributo liberas pronuntiare. spero, non nullum solatium ex hac ordinatione afflictis fore.

Leg. I. Spe omni maius. beneficium, Caesar, facis, aeternis laudibus dignum.

- Leg. II. Et quod, si per te licet, ad futura saecula in aere aut marmore sub tua effigie perennabit.
- Titus Hoc nolo et serio prohibeo. nam quem tu Titum existimas? gloriae famulari me putas an Reipublicae? vivant alii in aere et saxo, ego cupio in animis vivere. tanti me ipsum non habeo, ut imaginem mei velim subditorum pecuniis emere.
- Gracc. Sic omnem grati animi affectum prohibes?
- Titus Si beneficiis vos meis gaudere video, gratos agnosco satis.

Scena quarta

Personae eadem et Aemilius, Camillus, Rutilius,
Brutus, Lentulus, Ephebi a Tito recens adlecti

Aemilius prodit cum Ephebis.

- Aem. Adduco, Auguste, quos petebas, pro sacrificio Ministros.
- Cam. Prompti, etiam victimae, si iubes, erimus.
- Rut. Pro Diis et pro populo gloriosum est mori.
- Brut. Vitam pro bono publico accepimus: pro bono publico oportet redere.
- Lent. Oportet, nisi turpiter degeneres a Maioribus simus.
- Titus Macte animis, generosa pubes! crescite in magnas spes! magnanimi sensus, quos hausistis a parentibus, nutrientur in aula mea, si cum hac mutare potestis paternam domum, et Patres sinant.
- Cam. Prope omnem calamitatis memoriam abstersit parentibus tantae gratiae nuntium.
- Rut. Quid posset optatius nobis contingere, quam si pro Patre liceat vereri Caesarem?
- Brut. Vtinam nos simus filii digni te!
- Lent. Saltem conabimur, Caesar, ut tui te beneficij nunquam poeniteat.
- Titus Placet hic vester animus. parens ero. faciamus a Iove principium. nam hoc scitote: prima mihi cura religio est erga Superos; altera, charitas erga subditos. exemplum dabo. capite ab Aemilio sacrificii instrumenta et vestes.

Accipiunt thuribulum etc.

Ad Legatos Campaniae.

- Vos redditum maturate ad vestros, ne diutius absque solatio sint.
- Leg. I., II. Feremus amplissimum. servent te Dii, Caesar, incolumem diu!
- Titus Accepto votum, si acceptum est Diis et utile populis; si aliter Coelo visum, commendabo vos Fratri. valete.

Abeunt Legati.

- Dom. Ego te, Frater, immortalem opto.
 Titus Imo facies, si imiteris.
 Aem. Implevimus iussa, Caesar.
 Titus Quod igitur felix faustumque sit et ad communem charissimi mei populi felicitatem, uti opto, eveniat, Caesarem exuo, Pontificem induo.
- Paludamentum ponit et gladium et cidarim traditque Graccho.*
- Gracc. Faxit Coelum, ut haec purpura nunquam ornet humeros minus religiosos.
 Titus Admoniti sunt Flamines?
 Aem. Iam adduxerunt victimam et lustrationibus vacant.
 Dom. Licetne comitem ire?
 Titus Frater, scis morem meum: libentius lito solus. adeste dilectissimi! vestra innocentia et devotio plus, confido, quam omnes victimae placebunt Iovi.
 Cam., Rut., Brut., Lent. Optamus, Caesar!
- Abeunt.*
- Dom. Vos, cum servos emptos adduxerit Fabius, intrare ad me iubete.
 Gracc. Vt iubes, Princeps.
- Abit Domitianus.*

Scena quinta

Gracchus, Aemilius

- Gracc. Quotidie suavioribus gaudiis exultat animus Titum cogitans, quotidie se maiorem. heri audivimus eum, cum sub vesperum recordaretur, se nulli per diem beneficum fuisse, cum nobili gemitu exclamantem: 'amici, diem perdidimus!' hodie quantis benefactis negligentiam expiat?
- Aem. Certe ingentibus.
- Gracc. Tantae virtutis amabilitas etiam ipsum Domitianum affecisse videatur: ita placidus adstitit, sine motu, sine rugis, ut prope iniuriam fecisse te credam, cum suspectum de ambitu habuisti.
- Aem. Adhuc habeo. noli decipi: saepe malacia propinquae tempestatis est nuntia. crede mihi: Domitianus non amat Titum, et, utinam fallar, concepit monstrum ambitio atque iam parturit. si expectamus partum, vae Romae! vae Imperio!
- Gracc. Potes, Aemili, concipere tam atrocem metum?

- Aem. Notum mihi superbum et ferox ingenium. amavit Titum, dum vixit parens, dum fuere aequales. maiorem semper suspexit cum suspirio.
- Gracc. Hoc quidem credo. sed et id scio, iactasse saepe querulas voces, quibus amorem carpebat, quo subditos amplectitur Titus. servire illum, dicebat, non imperare. quanquam vere, quid est imperium, nisi servitus? neque enim fieri potest, ut bene imperet singulis, qui non servit universis.
- Aem. Ita. et secus qui fecerit, tyrannus erit, non Dominus.
- Gracc. Caeterum praeter innoxios gemitus et verba pereuntia crudelius aliquid machinari Domitianum, difficulter adducor, ut credam. Frater est.
- Aem. Frater est! qui ergo Romulus et Remus, qui novissime Nero et Britannicus fuerunt? libido dominandi quam parum respiciat cognatum sanguinem, omnes historiae, omnes fabulae docent. hae virum Republicae studiosum anxium iubent esse et vigilem.
- Gracc. Agnosco. sed quid suades?
- Aem. Mihi etiam Fabii cum Domitiano amicitia timenda videtur. ingenium est homini similiter ferox et durum pro plebe; quid si similia consilia forent?
- Gracc. Video non esse timores vanos. amet te Coelum, Aemili, qui adeo sollicite pro nostro delicio angeris.
- Aem. Sine, ut hic solitarius expectem hominem. explorandus est cum astutia.
- Gracc. Age, quod agis, strenue. si quid opus erit mea opera, fac, monear in tempore.

Abit Gracchus.

Scena sexta

Aemilius, Fabius

- Aem. Ita faciam. gaude, Aemili, iam via ad solium strata est! ringentibus aemulis, imperabis. faventem Gracchum habes et cum Graccho populum.
- Exit Fabius.*
- Tandem te video! et ubi Laelius, Orbilius?
- Fab. Nempe instrui debebant ad destinatum facinus. opus tempore fuit.
- Aem. Vt animati sunt?

- Fab. Quam optime. pudor et dolor prope in rabiem egit. securi sumus.
nulla de nobis Tito suspicio est. in Campaniam me ire cum Legatis
iussit, ut consoler afflictos; adeo innocens videor.
- Aem. Ecce! quando ibis?
- Fab. Nunquam, si hodie Titus perit. praeterea iussit me libertatem nun-
tiare divenditis; adeo confidit.
- Aem. Et tamen furunt?
- Fab. Scilicet silui de beneficio, supplicii iniuriam exaggeravi. ruunt in
exitium Caesaris.
- Aem. Etiam in Domitiani et suum. nam ego interim Gracchi animum
suspicionibus implevi atrocibus. ut primus se fundet de caede ru-
mor, citabit in arma populum.
- Fab. Belle omnia. ego nunc Domitiano referam, quid fiat. deinde ad
Paulinum et milites ibo.
- Aem. Ego vero in excubiis ero. plaudere, anime! coronam teneo.

Chorus I.

Diana, Apollo, <Brontes>, <Steropes>, <Pyracmon>,
Vulcanus, <Faunus>, Fauni, Venatores

*Apollo propter occisos Cyclopes laesi Iovis se reum videns spontaneo se exilio multat.
Theatrum exhibet sylvam cum monte Aetna et officina Cyclopum.*

- Dian. *Ad Apollinem fratrem.* Ecce!
Iam fervent studia venatorum tuis honoribus.
- Apoll. Bene est. haec placet, soror, statio.
- Dian. Ego interiora nemoris mihi eligo.
- Apoll. Io Poean! optatae in tela occurrent belluae.
- Dian. *Ad Cyclopes.*
Cessate malleis; nam feras avertitis.
Auditis cornua?
Otiosi potius spectate hilaria Dianaे studia.
- Bront. Tuum est imperare, Dea suavissima.
- Ster. Quin et pro malleis, socii, nos quoque sumimus venabula?
- Pyr. Sumamus! iuvat respirare
Et venantum gaudia post labores gustare.
- Bront. *Ab Apolline latente sagitta percussus.*
Heu, socii! interii!
- Pyr. Pro Superi!
- Ster. Hiat pectus immani vulnere!
- Pyr. Morientem vindicate, Furiae! en iterum!
Cominus hasta transfigit eum Apollo.
- Ster. Heu, Frater! percussus sum! morior!
- Pyr. Iuve, Mulciber! eia! quisquis es hostis, progredere!
- Apoll. Scelestē! morere.
Abit.
- Pyr. Heu me, Apollo! Apollo!
- Apoll. Io! felix venatio! ... iam sorori me associo.
- Pyr. Maledicte Apollo!
- Vulc. *Prodit.* Incudes cur silent hodie?
Vah! dirum spectaculum!
Configi telis famuli in suo natant sanguine!
Quis tantum patravit nefas? edicite.
- Pyr. Heu! Apollo! Apollo!
- Vulc. Apollo? intelligo. iam tu tranquille morere!
Propitium precor Plutonem in orci limine.
Ego vero vos et laesum in vobis Iovem vindicabo.
Deos omnes in proterviae ultionem armabo.

Aria

Nos Iovem amamus:
 Pro Iove pugnamus!
 Offende Iovem: omnia
 Offendis Numina.
 Per Iovis Maiestatem
 Tuemur potestatem;
 Et quidquid habemus,
 Tonanti debemus.
 Si non regnaret Iupiter
 Quis esset Mulciber?
 Eia! Faune! Faune! et quidquid Sylvestrium
 Hic adest Numinum,
Prodeunt Fauni fustibus armati.
 Ad arma! ad arma!

- Faun. Quis furor incendit Vulcanum?
 Quis vindicem armavit manum?
- Vulc. Videlis meorum stragem servorum.
 Offensus est Iupiter, Apollo reus: vindicemus!
- Faun. Quod iustum est, exigis. Iovem amamus!
- Ch. F. Offensem Iovem vindicamus!
- Faun. Tu modum edoce.
- Vulc. Advertite!
 Nullus dubito, quin adhuc latro vagetur in nemore.
 Vos ergo haec cadavera tumulate
 Et cum lamentabili lessso inferias date.
 Excitus tumultu Apollo procedet: capite!
 Tonanti sistite!
- Faun. Ex tripode.
- Vulc. Ego praereo et omnem rei seriem Iovem edoceo.
- Faun. Intelleximus. ubi autem sepeliemus cadavera?
- Vulc. Specus, quae fuit vivis officina laborum,
 Sit sepulchrum defunctorum.
- Abit.*
- Faun. Ergo strenue voces et manus iungite.
 Ego lessum intono.

Chorus Faunorum

Lessus

- I. Heu! eheu!
Dii Superi! Dii Medii! Dii Inferi,
 Lugete!
Divinis digni lacrymis
Sunt fabri flammae vindicis,
 Qua templa tuemur
Et tura meremur.
 Lugete!
- II. Heu! eheu!
Sic denique, sic Siculae silebitis
 Incudes?
Et tuum, Phoebe, facinus
Sit tutum a fulminibus?
 A poena immune?
Sic Iovi impune
 Illudes?
- III. Heu! eheu!
Sta, quisquis sis, qui praeteris, sta! mortuis
 Precare,
Vt sint Tonanti Stygio
Priore ab officio
 Et pergent Plutones
Adversum latrones
 Armare.

- Apoll. *Ex nemore prodiens cum Diana.*
Heus vos! quid tantis tumultibus Aetnam concutitis?
- Faun. Socii! celeriter reum cingite! ad Iovem trahite!
- Dian. Stupidi! non nostis Apollinem.
- Ch. F. Novimus Cyclopum latronem: ad Iovem! ad Iovem!
- Apoll. Vim patior! socii, stringite venabula!
- Dian. Vos tela expedite!
- Apoll. Cessate aut perite!

Chorus Faunorum, Chorus Venatorum

- Ch. F. Iovem nos amamus:
Iovem vindicamus!
- Ch. V. Cessate! aut peribitis
Nec Iovem vindicabitis.
- Faun. Cedamus! ipse occisos Cyclopes sciet ulcisci Iupiter.
Iam prodidit te Mulciber.
- Abeunt Fauni.*
- Apoll. Heu, soror! quid audio!
Iovi reus sum de latrocinio: quo fugio?
- Dian. Siccine? Fratrem latronem habeo Ministrorum iustitiae? ...
Ah! Frater! quae te agitarunt intemperiae?
- Apoll. Furens dolor de perempto a Iove Aesculapio
Suasit facinus, quod iam horreo.
- Dian. Infelix venatio! sic Frater ausit sororem decipere
Et tanti sceleris participem facere?
Si temeritas Aesculapii meruit fulminari,
Quo suppicio impietas Apollinis debet mactari?
Miser! an poteras ignorare,
Quid sit contra Iovem ter optimum, ter maximum rebellare?

Aria

Est bellum funestissimum,
Infaustum semper praelium,
Quod consule furore
Aut scelere suasore
Contra Regem,
Contra sanctam Coeli legem
A subditis habetur.

Fauni dimittunt Apollinem a Venatoribus territi.

Coniura cum Gigantibus,
Impone montes montibus:
Struxisti Mausolaeum
Pro irrigore Deum.
Quod in Coelum
Sceleratum mittes telum,
In fulmen convertetur.

- Apoll. Ergo, quid suades, soror?
- Dian. Nempe quid superest, nisi ut Numinis optimi maximi
Te tradas arbitrio?
Placabitur.
- Apoll. Durus est sermo, quem audio.

Ariose.

- | | |
|--|---|
| Apoll. Difficilis est gratia,
Quam cogis exorare.
Quid? ego supplicare?
Apollo sum!
Iovi genu flectere,
Et 'ignosce!' dicere
Superba est petitio,
Intolerabilis.
Apollo sum:
Ego supplicare?

Malim trisulca a flamma perire,
Coelo extorris Plutoni servire
Quam pati, ut ego
Dicar Iovi supplice
Accidisse poplite. | Dian. Sed facilis est venia,
Si potes supplicare.
Quid? tu deliberare?
Rebellis es!
Iovi genu flectere,
Et 'ignosce!' dicere
Aequissima conditio,
Inevitabilis.
Rebellis es:
Tu deliberare?

Peri insane, si iuvat perire,
Servi Plutoni, si lubet servare;
Et ego te nego
Esse Fratrem Cynthiae,
Sint sorores Furiae. |
|--|---|

Abit.

- Apoll. Abiit. quid iam consilii mihi met suggero? ...
 Quid? si Apollinem alienis vestibus tegerem
 Et breve exilium mihi met indicarem? ...
 Bonum est consilium.
 Saepe in rebus desperatis tempus tulit auxilium.
 Mutantur tempora et tempora mutata
 Non raro mutant fata.

Aria

- I. Cum Coelum nigrescit
 Et mare tumescit,
 Prudentis est velle latere
 Et navem in portu tenere,
 Dum Coeli mutandi
 Et maris pacandi
 Est melior spes.
- II. Qui patiens morae
 Et memor est horae,
 Qua hyemem ver subsequetur,
 Is rosas de spinis meretur.
 Afflictas cunctando
 Et bene sperando
 Restituam res.

Actus tertius

Scena prima

Gracchus, Aemilius

Aperitur aula.

- Gracc. Sic, ais, periit ‘Amor et Delicium nostrum’?
- Aem. Sic, aio; nam ita flens et eiulans Rutilius mihi.
- Gracc. Peremptus nefario scelere Titus iacet?
- Aem. Acerbus dolor medullas vorat. iacet!
- Gracc. Ferrum sicarius adegit in viscera? miseram Romam! et o nimium exosam Superis! nam quantae nos calamitates obruunt simul! Campaniam terrae motus et ignes eiectans vastavit Vesuvius, Neapolim pestis populatur, Roma adhuc ab incendio fumat; et tot cladibus additur funesta caedes eius, qui solus poterat afflictos solari! miseram Romam! sed quis sicarius?
- Aem. Gracche, haec nunc est quaestio intempestiva. auctorem caedis facile divinabis; nunc id agendum, ut non sit idem successor et sceleris praemium coronam ferat.
- Gracc. Lubet votum repetere, quod Roma olim Augusto fecit: utinam Princeps tantus aut nunquam natus aut nunquam fuisse mortuus!
- Aem. Et utinam ei succederet saltem, qui imitari vellet! me quidem, Gracche, ita affecerunt divinae virtutis exempla, ut saepe oraverim Deos, ne post Titum alteri cuidam quam mihi paterentur committi imperium. sed nolim, amice, ut te offendat haec libera confessio, quam non ambitio, sed amor populorum expressit. servire cupio, cum ambio regnare.
- Gracc. Gentem Aemiliam novi. superest laeta tuorum Maiorum memoria, eosque gaudemus revixisse in te.
- Aem. Nihil ego ista decora memoro. sunt maiora in aliis. sed quo animo, Gracche, quo animo alii erga Rempublicam, erga populum sint, nescio; optimo esse me, hoc scio.
- Gracc. Neque hoc nescit populus, Aemili. quin ego nihil dubito, quin plerique te successorem Titi tacitis votis sint optaturi.
- Aem. Fac igitur, ut petant etiam unanimi voce.
- Gracc. Nempe nisi esset Domitianus timendus: fraterno iure coronam rapiet sibi.
- Aem. Domitianus? scilicet Titi Frater! latronem voca et parricidam. nam dubitas adhuc nempe, ab ipso armatum sicarium? aut adeone timidi vos, ut scelus adoretis pro Caesare?
- Gracc. Si reus est Domitianus, nihil ambige: periit. tu Caesar eris.

- Aem. Non ambio, si melior occurrat modus, quo consulas bono publico.
 Tribunus plebis es: scis, quid iubeat officii ratio.
- Gracc. Fideliter exequar. ad Paulinum abeo, ut teneat intentos milites in omnem casum, ne quid turbetur in hoc tumultu aut ne improvide Domitiano se adiungat exercitus.

Abit Gracchus.

- Aem. Sapienter. faxo, ut brevi patescat veritas.
- Prodit Domitianus.*

Scena secunda

Domitianus, Aemilius

- Dom. Nunc tandem, Aemili, antiqua cessabunt odia, veneraberis Domitiam, amicus eris. cecidit infelix Frater: sic visum Superis, corona debetur Fratri. servum te appellare possem, amicum malo. age, primo obsequio merere animum novi Caesaris: huc militem voca, qui mea mandata audiat.
- Aem. Princeps, servus esse non possum, cum nullus est Dominus. festina lente. cum delatum ad te imperium fuerit, proni adorabimus nutum. nunc liberi sumus: eligemus Dominum, qui placuerit.
- Dom. Inferi! de eligendo Caesare agetur, cum demortui vivit Frater?
- Aem. Agetur, cum Frater displicet.
- Dom. Vah! quis ego sum? quid ergo displicet?
- Aem. Princeps, diu iam Roma sub pessimis Imperatoribus gemuit; nunc vix respirare sub Tito coepit. afflixit nos primum post Augustum Tiberii scelerata astutia, deinde stultitia Caligulae et ignavia Claudi everterunt Maiestatem Romanam; mox Neronis crudelitas inundavit. deinceps Galba, Otto, Vitellius infamarunt augustam dignitatem; postremo Vespasiani Patris tui avaritia exhausit provincias. haec tot mala dispersa in aliis, timemus a te omnia. frons, oculi, vultus, mores tui has minas faciunt; hoc displicet. deinde illud maxime omnium, quod Titus, qui placuit omnibus, soli Fratri displicerit.
- Dom. Audax! impudens! haec in faciem mihi?
- Aem. Vt sentias nempe, te non timeri, et nunc quidem de corona desperes, donec minus superbus, magis comis et haud paulo clementior factus placere incipias. eo usque frustra aut a Senatu aut a populo aut ab exercitu suffragium speras.
- Dom. Haec audio patiens?
- Aem. Quin et plura, opinor, ex Fabio audies.
- Prodit Fabius.*

Scena tertia

Personae priores et Fabius, *succedit* Paulinus

Dom. Parum abest, Fabi, quin hunc maledicu[m] canem inferias Fratri mittam.

Fab. Omitte iras, Princeps, quidquid sis passus. amicum potius consilium audies, si sapis. fugam suadeo et tutas latebras.

Dom. Quid? fugam? perfide!

Fab. Nisi ultima pati velis. populus Titi caede efferus tumultuari incipit, te credit auctorem; miscetur forum, proscinditur probris Domitiani nomen, cruenta fiunt consilia: in mora periculum.

Dom. Quis hunc furorem incendit?

Fab. Non est nunc tempus iudicii, sed fugae, Princeps. si evaseris triste malum, vide, cui te ipsum debeas. consulo saluti tuae.

Aem. Male consulitur saluti parricidae. hora favet, amice!

Gladios intentant.

Pereat latro!

Fab. Pereat!

Dom. Vah! ego petor? proditores! rebelles!

Fab. Occide! macta! perde!

Dom. Succurre, miles! famuli!

Aem. Ad Stygem, monstrum! peri.

Paulinus exit.

Paul. Quis tumultus?

Fab. Vindictam Titus exigit.

Aem. Et meretur.

Dom. Iuvate!

Paul. Sistite! insontem premitis. Titus vivit!

Dom. Vivit?

Aem., Fab. Titus?

Paul. Vivit, inquam.

Aem., Fab. *Seorsim, deinde abeunt.*

O nova importuna!

Scena quarta

Paulinus, Domitianus

- Paul. Nam cur fugitis modo?
- Dom. Sine. hem! sic prodor! tetur facinus impingunt mihi, ut tegant se.
sentio: affectant imperium. reos de vi et ambitu agam. sed ain' ve-
re, vivit Frater?
- Paul. Vivit Princeps iamque propinquat aulae a sacris redux. populus a
Fabio paulo ante concitatus moerore et ira furens in te surgebat,
nunc laetitia repente obruti, duce Graccho, obviam se effuderunt
redivivo. fletus in plausum, ira in gratulationes est versa.
- Dom. Fabius concitavit?
- Paul. Te nempe dicebat auctorem caedis.
- Dom. Vah! perduelles! est, quod dixi. Pauline, tibi vitam debo; fac, ut
etiam famam debeam. perge et populum, quid videris, doce.
- Paul. Confide, Princeps! vindicem innocentiae habebis Fratrem, qui et
famae iacturam maiori gloria compensabit.
- Abit.*

Scena quinta

Domitianus *situs*

- Dom. Titus vivit? o nuntium funestum mihi! infelix ambitio, quo me adi-
gis? quo vultu aspiciam Fratrem, tanti sceleris reus? utinam quae
Orestem agitarunt Furiae, me quoque raperent extra hanc solis lu-
cem a Fratris aspectu procul! et quis excussit sicariis feralem si-
cam? vecordes semiviri! sic popae et pueri terruerunt? quanquam
quid incuso homines? scilicet Diis invisi sumus. vos prehensam
manibus coronam rapitis, infensa Numina! et quid cessatis? fulmen
mittite, quod vitam etiam et animam rapiat. nam in quae ludibria
servor? scilicet aut supplicantis habitu maestus, gemens et indeco-
ris perfusus lacrymis, veniam criminis orabo Titum; aut manu li-
ctoris caesus populive saevientis manibus disceptus, poenas cru-
deles dabo; aut misera fuga subductus neci, extorris, inops, ignotus
barbaras plagas incolam. quid eligis, anime? ... atrox arbitrium! ...
verum cur me ipsum damno, quem nondum fata damnarunt? imo
absolvere Paulinus mei periculi testis potest. ut fugerem, Fabius

voluit; nempe ut fuga convinceret reum. redeat in auctores malum: fugerunt, convicti sunt satis. evado.

Scena sexta

Domitianus, Titus, Rutilius, Brutus, Camillus, Lentulus

Titus exit.

- Dom. Talis occurris, Frater! heu! quantillum abfuit, ut apud inferos coenaremus uterque hodie!
- Titus Laudes Diis, qui me servarunt! ipsos testes habeo: non memini, commisisse me unquam facinus poenitendum! et tamen insidias patior! in qua barbarie vivo?
- Rut. Vlciscere, Caesar, crimen nefandum!
- Brut. Pereant, qui perire te cupiunt!
- Cam. Horresco adhuc os illud efferi hominis, qui ausus est in te irruere!
- Lent. Detestor sicam, quam in te strinxit!
- Titus Quiescite! Orbilius quidem, Frater, fuga elapsus, se mihi eripuit; Laelius vero a sacrorum Ministris occupatus et sacro cultro confossus meritas poenas dedit.
- Dom. Vah! quid audio? quos tu mihi donasti, Orbilius et Laelius in te ruerunt? conveniunt omnia, Auguste Frater! Fabius immisit, Aemilio conscio vel auctore.
- Titus Euge! quos nominas viros?
- Dom. Quibus peiores nullum saeculum tulit. vix rumor de tua caede invalidit, cum ambo strictis gladiis impetum in me fecerunt. perieram, nisi pugnantibus intervenisset Paulinus et tuae vitae non expectato nuntio perterritos latrones egisset in fugam.
- Titus Sic viperas in sinu alui!
- Dom. Nondum narravi omnia. per horum scurrarum flagitium nullo iam loco consistere tutus possum: in me calumniis concitata Roma surrexit, parricida audio et ad necem deposcor. Deos vindices, te iudicem volo, Tite! si quis est tibi fraterni sanguinis et nominis cultus, si quis amor iustitiae, si qua cura tranquillitatis, collige iras, Frater, et omnem, quae cogitari possunt, poenarum procellam in fugitivos effunde. nihil iam clementiae, nihil misericordiae concedendum; iustitia imperet.
- Titus Audio, Frater! et quoniam ipse laesum te quereris, age, retrahi ex fuga reos cura: trahantur in quaestionem, satisfiat iustitiae.

Scena septima

Personae eadem cum Paulino et Graccho

Exit Paulinus et Gracchus.

- Paul., Gracc. O vive, Caesar! quem salvum moerentibus Dii reddunt!
- Gracc. Expectat impatiens populus, avidus redivivum videre. distributus in ordines suos, excipiet te inter laetas acclamations et tripudia. recrea tuos celeriter beato aspectu.
- Paul. Miles interea utriusque parricidae domum obsedit, et portas urbis custodit vigil, ne elabantur.
- Titus Vtinam elabantur! non sitio humanum sanguinem. quia tamen non me tantum, sed etiam te laeserunt, Frater, haberi iudicium volo. rem, Pauline, cum Fratre perage. ego charissimum mihi populum salutatum eo.
- Dom. Vtinam elabantur! audisti, Pauline, vocem absonam? et quid dubito? si vivi sistuntur Tito, elabentur utique. tribus lacrymis scelestorum emollitus, Frater veniam, vitam, libertatem, omnia restituet. inultus ero.
- Paul. Non id populus, Princeps, non miles feret. nolens volens cogetur Caesar damnare reos.
- Dom. Non sum securus. tu, si qua tibi Domitianus veneratio est, ubique deprehenderis, macta et per mille vulnera expelle animas tanti convictas sacrilegii.
- Paul. Mandatum sanctum est. sed facinus Caesari qui excusabo?
- Dom. Excusabit, qui iussit. Caesaris Frater sum. sed quid iam populus de me?
- Paul. Excussi suspicionem conceptam temere et veros proditores nominavi palam. innocens es, solus Aemilius et Fabius petuntur ad ro-gum.
- Dom. Adeo me tibi totum debeo. adiice duplice beneficio tertium et, ut celeriter ac certo impii intereant, perfice; omne punctum tulisti. vindictae rabies iustissima pectus exedit. morior, si reis parcitur.
- Paul. Obedio, Princeps. in eodem peribunt angulo, in quo latent.
- Abit.*
- Dom. Sic age, et ego mihi consuluo. purgavi me, si tantum egero, ut loqui nemo possit, qui posset accusare.
- Saltus.*

Actus quartus

Scena prima

Servus Fabii, Fabius

Prodit Fabius in vestitu Hispano, cum Servo et sub crepusculum, dubia luce.

- Serv. Certe vix per medios milites elapsus, facultatem nactus sum te perquirendi, quod iusserat hera, ut monerem, quo cautius tibi consuleres. diripitur domus, plorat familia, desperat Domina; multum erit, nisi etiam filium in mancipatum abripiant. tu, nisi qua effugias indagantium furorem, actum est. nam ne captivus quidem duceris ad Caesarem: in ipso loco, ubi deprehensus fueris, moriendum erit. sic audivi Paulinum praecipientem militibus. iisdem periculis involutum Aemilium audio.
- Fab. Nunc te probas fidelem servum. sed num videor tibi sub isto habitu latere satis?
- Serv. Satis. nisi me compellasses praetereuntem, etiam hos oculos fefellisses.
- Fab. Recte. perge iam domum et te similibus indue. homines curiosos facile decipies officioso mendacio: dic, ex Hispania te venisse cum hero tuo negotii quidpiam acturo cum Caesare. fraudem religioso silentio preme omnibus praeterquam uxori. deinde diligenter exploera per circulos, quid agatur de me, et fac, ut me lateat nihil. caetera ego curabo. nunc ad Caesarem eo. confide, tempestas transibit cito, et feres dignum operae pretium.
- Serv. Intellexi. Dii faveant nostris consiliis.
- Fab. Audacem fortuna iuvat! at en!

Scena secunda

<Duo> Legati Campaniae, Fabius, Aemilius

- Leg. I. *Ad Aemilium supplicem.*
Irritas preces facis. amamus Caesarem et timemus.
- Fab. Nisi fallor, ex aulae Ministris estis, Domini! quis mihi facultatem faciat alloquendi Caesarem? ex Hispania rem grandem fero, quam interest Principis scire quantocyus.
- Leg. II. Age, quo in pretio apud Hispanos est Caesar?

- Fab. In amoribus summis. prope Titum Augusto paeferimus. non ita, ut video, a Romanis amatur. sunt inter vos, qui per litteras ad defectiōnem sollicitarunt exercitum, quos ego accusatum sum missus. teneo interceptas litteras. tres subscripterunt, ex quibus duo, Fabius et Aemilius, homines patritii generis iam notae malitiae sunt; ut-pote quos, vix urbem ingressus, video ubique ad necem inquiri. tertium nemini nisi Caesari nominabo.
- Leg. I. Quid palles, Aemili.
- Leg. II. Ergo in Hispaniam usque porrigitis odia tam amabilis Principis?
- Fab. Hic Aemilius? et non rapitis hominem ad tribunal?
- Leg. I. Ipsi peregrini sumus.
- Leg. II. Ausus est scelestus rogare etiam, ut in nostra familia latentem nobiscum duceremus in Campaniam, ut commerita supplicia posset evadere.
- Leg. I. Quid stupes miser?
- Fab. Mutum horror novi sceleris fecit.
- Aem. Vel ringente Roma evadam supplicium, quod merui. bonum habemus Caesarem!
- Fab. Quo ruit furiosus?
- Leg. I. Mentiar, nisi ipse se Principi sistat. tanta est confidentia.
- Leg. II. Age! aulam ingredimur. ecce, Caesar prodit.

Scena tertia

Personae eadem et Titus

Aperitur aula. prodit hinc Titus, inde Aemilius.

- Aem. Caesar! habes fatentem reum. plura dolor et pudor vetant.
- Titus Aemili, qua fiducia te sistis mihi!
- Aem. Asylum quaero; et quod inveniam tutius quam Caesaris tam boni Regiam ac sinum paternum. si bene te novi, Augste, non sum deceptus: dabis veniam Aemilio, quanquam mille mortes promerito. ita tua magnanimitas iubet.
- Titus Si bonus, si Pater sum, cur me odisti?
- Aem. Abfuit hoc semper, Caesar, ut te oderim; nam quis posset? splendor coronae excaecavit infelicem, ut praeceps in scelus ruerem.
- Titus O te inanem! tantine sit Imperatorem esse, ut etiam per scelus appetendum videri queat? coronae fato dantur; felix est, qui sua sorte contentus vivit. Comoediae vitam nostram comparavit Augustus: agat personam quisque, quam imposuit Choragus Deus. quid me hic splendor, haec pompa iuvat? cum obducto sipario finietur Co-moedia et vita simul, non illum laudabunt Dii, qui Principem per-

sonam egit, sed qui principalius suam. itaque saepe rusticus placebit p[re] Rege. haec tu nunc saltem reputa tecum. me miseret tuae caecitatis. dum delibero, quid sit agendum, latere potes: asylum habes.

- Aem. Haec deliberatio conclusio est. salvus sum! Auguste, vive!
- Leg. I. O mitem Dominum! at fors[an], Caesar, si hunc audieris, non ultra deliberabis, quid agas.
- Leg. II. Nondum enim novisti omnia.
- Fab. Vive, Caesar! facinus detego execrandum, si loqui sine arbitris licet.

Scena quarta

Personae eadem cum Domitiano, Paulino et Graccho

- Dom. *Exit.* Auguste Frater! Aemilius in Regiam fugisse est visus: permitte, ut extrahatur ad caedem.
- Titus Frater, asylum dedi.
- Dom. Superi! asylum! nam quo usque te bonitas aget? sed frustra es. miles et civis cinxit Palatum et cum tumultu reum exposcit ad poenam. nisi concedas sponte, vi rapietur.
- Titus Vim Imperatori subditi facient?
- Dom. Cogit amor.
- Paul. Nihil moderate agit vulgus, Auguste, sive cum odit, sive cum amat: ignoscere.
- Gracc. Quid, quod Fabius etiam dicatur in Palatio latere. nam quo alias effugisset?
- Titus Modestum amorem volo. si amant, obedient. Pauline, Gracche, vestrum est continere insanos impetus. ite.
- Abeunt Paulinus et Gracchus.*
- Dom. Si tuam non vindicas iniuriam, saltem Fratrem ulciscere. et ego offensus sum: iustitiam expeto.
- Titus Reum permittere furori plebis, hic non est iuris ordo. ite. vobis, amici, quoniam alienavit se Fabius, de altero providebo, qui comittetur in Patriam.
- Leg. I. Vtinam, Princeps, satis prosum sit tibi.
- Titus Diis curae sum, nihil timete.
- Leg. II. Ita optamus.
- Titus Iam tu loquere.
- Fab. Sine arbitrio liceat!
- Titus Loquere, nam et hic Titus est.
- Fab. Quoniam iubes.

Scena quinta

Fabius, Titus, Domitianus, Paulinus

- Fab. Legere has litteras lubeat.
- Titus Ad Crassum, Hispani exercitus ducem, sunt datae. Frater, video tuam manum.
- Dom. Vnde hae tibi?
- Titus Quid lego? Frater me fugere cogitat?
- Dom. Hoc de me?
- Titus Sollicitare exercitum ad defectionem?
- Dom. Vah!
- Titus Affectare imperium? sic diligor!
- Dom. Rumpor! sine, Frater, ut hunc tabellarium una cum infami epistolio discerpam.
- Titus Siste impetum. non sic defenditur innocentia.
- Fab. Ego te, Princeps, non accuso. litteras vides; has exhibere, fidelis subditi fuit. tuum est, probare falsas.
- Dom. Haec credis de Fratre, Frater?
- Titus Certe non sunt aliena ab indole. ah! utinam, quo ego in te, eodem erga me animo esses!
- Fab. Plura dico. cum sensit exercitum corrumpi non posse tuus hic Frater, Augste, conduxit sicarios, a quibus paulo ante prope peremptus fueras. haec causa est, quod Fabium et Aemilium sceleris conscientios et complices tam avide persequatur et cupiat non auditos damnari. adducantur homines; dispeream, nisi convincam.
- Dom. Heu! quo me abscondam?
- Paul. Augste, retractus ex fuga Orbilius huc rapitur.
- Fab. Novus testis! Caesar! audiatur.
- Dom. *Subducit se.* Perii!
- Titus In custodiam detur. et quiescit populus?
- Paul. Confusa fiunt murmura. expectat a te atrocem in reos sententiam.
- Titus Cum causam cognovero penitus, prodibo in Concionem.

Scena sexta

Fabius, Titus

- Fab. Ecce, subduxit se Frater? Augste, reum fatetur.
- Titus Dudum suspectus fuit. sed quam tibi gratiam debeo, amice, pro hac fide?
- Fab. Nullam, Caesar. si quid tamen meruisse videor, unum te supplex oro.
- Titus Ora.
- Fab. Qui cum Domitiano coniuravit, amicus est meus, quem amo tenerime. ille latet timore supplicii, quod se meritum agnoscit, exanimis. me coegit accedere et omnem facinoris seriem narrare tibi, spe fretus, fore, ut hac libera confessione placatus flectaris ad veniam. ignosce, Caesar, et indulge clementiam homini in saecula praedicandam.
- Titus Vivat in tuam gratiam, ignosco. adduce ad me.
- Fab. Mactas me gaudio. en, adest ipse. quanquam, o pudor <...>!
- Titus Quid me suspensum tenes?
- Fab. Ego, ego sum Fabius: pro me rogavi.
- Titus Illudor!
- Fab. Da veniam, Augste! dira necessitas hanc fraudem excusat satis.
- Titus Quid igitur de Hispania garrivisti? quid hae litterae volunt?
- Fab. Nihil mentitus sum. Domitianus haec epistola est, quam hodie primum exaravit ad Crassum; diem inspice. volebat me cras proficisci in Hispaniam et impium negotium agere. condixi infelix. sed, tu cum iussisses me cras in Campaniam ire, dissipatum consilium erat, et timor, ne forte proderemur, coegit maturare conceptum facinus. Orbilius et Laelius visi sunt idonei, et tuam religionem, Caesar -vah! impietatem! - opportunam sceleri occasionem putavimus.
- Titus Quid igitur Aemilius fecit?
- Fab. Nempe ut caedis invidiam in Domitianum amolirer, hominem tacite in partes traxi, allectum imperii inter nos dividundi spe. itaque, nuntio tuae caedis allato, ambo invasimus Fratrem, rati, haud aliter facilius mereri nos posse suffragia populi quam per celerem tuae iniuriaie ultionem. en crimen! en causa! cognito scelere scilicet coactus sum a populi furis me hoc thorace defendere et confugere ad te. in potestate sum.
- Titus Grande crimen. sed fidem dedi: salvus es. unum doce: plebs creditne Fratrem vestri criminis esse participem?
- Fab. Non puto; scilicet, cum videt illum tanto ardore nos persecui et urgere supplicium, alienissimum a nobis credit et acclamat tanti criminis vindici.

Titus Bene habet. tu igitur silentium tene. hac lege veniam dono, ut ca-
veas sedulo, ne quidquam de Fratris crimine emanet in vulgus. per-
iisti, si secus fiat. idem Aemilium et Orbilium mone.

Fab. Muti erimus. o Principem dignum saeculis!

Abit Titus. clauditur.

Scena septima

Servus Fabii, Fabius

Servus prodit.

Serv. Felix sum, quod te inveniam, Here. hanc vestem abiice, nisi perire
velis. nunc primum progressus ad populum Domitianus ferociter
contra Hispanum hominem declamavit: amicum esse latronum et
dignum mille necibus. furunt cives; si oculo te viderint, actum est.

Fab. Non videbunt. his ego vestibus salutem debui hactenus; nunc cum
nocere incipiunt, abiiciantur. tu alias affer.

Serv. Ego priusquam indui, damnavi.

Fab. Domi quid agitur?

Serv. Ingens trepidatio est.

Fab. Solare. ad Concionem prodibit Caesar et placabit populum. salvi
sumus. perge celeriter. ego ad Aemilium eo.

Chorus II.

Admetus, Apollo, Pastores, Vulcanus, Fauni,
Musae, Diana, Venatores, Aesculapius

*Apollo inter Pastores Regis Admeti exul et miser repente inter Deos iterum recipitur
una cum filio Aesculapio. Theatrum exhibet pascua Admeti.*

- Adm. Pastores, agite! struenda sunt altaria,
Paranda sacrificia:
Novus fines Deus ingreditur.
Tota obviam Thessalia effunditur,
Exultant Pindi culmina,
Amissum Musae cessant flere Apollinem
Et laeta parant carmina.
- Apoll. *Sub veste pastoris latens.* Quis novus Deus, Domine?
- Adm. Incertum. festinate et, quod iussi, facite.
Abit.
- Past. Festinamus, immolamus pecora pinguissima.
Abeunt.
- Apoll. Ite! sequar postea.
Nempe hoc adhuc deerat meae miseriae,
Vt Iupiter divinos honores auferret Apollini
Et assereret novo Numini.
Sed patere, Apollo, patere:
Omnia meruit furor impius, furor sacrilegus.

Aria

- I. Parcendum est suspiriis,
Indignae sunt querelae:
Si, quod mereris, pateris,
Oportet pati velle.
Poena perpetrati
Fructus est peccati:
Si fructus fugitur,
Cur arbor seritur?
- II. Si, antequam peccaveras,
Futura perpendisses,
Has nunquam in miseras
Infelix incidisses.
Quae facta sunt, optare,
Vt non sint, est cantare

Inanem noeniam
Et triste utinam?

- Apoll. Sed hem! quem video?
Occulte auscultat.
- Vulc. Sic est, Faune, ut assero.
Optimum Iovem miseruit Apollinis,
Iam anno integro de Coelo exulis.
- Faun. Et dat veniam criminis?
- Vulc. Dat insuper gratiam pristinae dignitatis ac muneris.
Praeterea occisum filium ad vitam revocavit.
- Faun. Aesculapium?
- Vulc. Eumque, ne iterum mori posset, divinitate donavit.
- Faun. O vere Deus optimus!
Sed nos quo vultu Apollo respiciet facinoris Proditores,
Miseriarum, quas tult, auctores?
- Vulc. Merito stetimus contra Apollinem.
Si sapit, imitabitur Iovem
Et ad veniam exhibebit se facilem;
Imo pro summo Numine
Pugnantium strenue
Virtutem probabit,
Laudabit.

Aria

- I. Sylvestres tantum belluae
Ignarae sunt discernere,
Quid sit iustitia,
Quid sit iniuria.
Hinc, quisquis laedit, irruunt,
Invadunt, sternunt, proterunt.
- II. Sed in Herois anima
Virtutis vis est alia;
Et vel in hostibus
Non caret laudibus.
Non damnat iusta praelia
Mens bono sensu praedita.

- Vulc. Securi igitur procedimus obviam
Et pompam ornamus.
Abit.
- Faun. I piae! ego socios convoco
Et sequor illico.
Abit.

Apoll. *Ex latebris prodiens.*

Velut de gravi somno evigilo.
Mihi et filio paratur triumphus?
Mihi plaudit Thessalia, et Musae parant carmina?
Ignoranti, latenti? nam quis me potuit prodere?
Optare libet, non licet credere.

Exhibetur Parnassus magnifice ornatus.

Hem! pompa magnifica.

Mus. I. Nempe, mi pastore, sacra magno Numini, nostro Apollini.

Apoll. Exuli?

Mus. II. Reduci.

Apoll. Fallimini. his auribus paulo ante audivi lamenta miseri.

Mus. III. Ergo, sorores, decepit nos mendax Mercurius?

Apoll. Siccine Mercurius hoc tulit nuntium?

Et creditis? sic nostis Cylleum?

Nempe nullas unquam fabulas Musis vendidit?

Aria

Mus. I. Vah! cui licet credere,
Si Dii mentiuntur?

Qui me non vult iuvare,

Is parcat insultare

Et ludere me!

Per falsa cur miseriae

Promissa nutriuntur?

Sic Tantalus vexatur

A pomis, quin alatur;

Mactatur a spe.

Dian. *Cum sociis. prodit.*

Ecce! quam bello Fratrem, Musae, recreabitis spectaculo!

Mus. I. Siccine? Dianam etiam turpi Mercurius decepit mendacio?

Dian. Revocatum Apollinem dixit ab exilio;
An non est ita?

Mus. II. Aliud hic nobis narravit Opilio.

Dian. Quem ego te video? aut Frater es
Aut de Fratre, ubi lateat, rescies.

Apoll. Soror es.

Dian. Quid audio? talem te video?

Venat. Hic Apollo est?

Musae Hic Deus Musarum?

Omn. O casum dignum torrente lacrymarum!

Adm. *Cum suis pastoribus. prodit et supplicat.*
Confidite!

Peccantibus per errorem est facilis spes veniae.
Hic est Apollo: procidite! immolate!

Chorus Pastorum

- Ch. Dive! facilis Pastores
Deprecantes respice.
- Adm. Nostros, sine, ut errores
Deleant hae victimae.
Per has peto, per has oro,
Dive, dona veniam.
- Omn. Supplicanti parce choro,
Dive, dona veniam.
- Apoll. Admete! quo ageris Numine?
Adm. Simulare desine. tuus te mihi prodidit filius,
Quem in triumpho adducet Vulcanus
Recens inter Deos assumptum et exultantem.
Audis pompam appropinquantem?
Pompa Aesculapii in dracone sedentis.
- Dian. Vive, Frater! vivat Aesculapius!
Apoll. Vivat Iupiter Deus Optimus, Maximus!
Mus. I. Eia, non est mentitus Mercurius: plaudimus.

Chorus

- Ch. Mutata est scena,
Sors ridet amoena:
Amat nos Iupiter,
Phoebus dupliciter
Hodie ortus videtur;
Felix calamitas,
Summa quam faustitas
Nube depulsa sequetur.
- Adm. Iam sine, Numen maximum,
Vt fiat sacrificium.
Mactate pecora!
- Apoll. Cessate! innocens non placet victima.
Ex Deo factus sum Pastor;
Ex Pastore fio Deus Pastorum,
Quem vos placabitis non caede agnorum,
Sed luporum.

- Vulc. Apollo, salve et in pristinam
Vulcanum cum Fauno recipe amicitiam.
- Faun. Vti pro Iove contra te stetimus,
Ita Iovem rursus tibi amicum gaudemus.
- Apoll. Praeterita meminisse desinite
Et facinus patratum dolori, non furori tribuite.
Sed intrat filius! Apollini
Plaudite, Superi!
- Dian. Et Aesculapio gratulamini!
- Aesc. Salve, Pater! salve, Amita!
Admittite manus, oscula!

Chorus

- Ch. I. Vivite deliciae
Humani generis!
Vivite amabilis
Numina ut Nominis,
Sic suavis indolis!
Per vos nos *iuvat* Iupiter,
Per vos est *Iupiter*.
- II. *Iuvans Pater* appelletur,
Nam meretur:
Morbi carnis ut curentur,
Reddit Aesculapium;
Morbi mentis ut fugentur,
Revocavit Cynthium.

- Dian. Iusta sunt iubila.
O Nepos! quam dulcis mihi est tua
Et talis praesentia!
- Aesc. Quidquid sum, fulmini debeo.
Nisi sic occidisse,
Nunquam sic revixisse.
- Apoll. Ergo, qui fulmen tam optabile cuderunt,
Occidi Cyclopes non meruerunt.
Age, fili, et laetitiam cumula:
Mortuos excita,
Quod iam licet sine invidia.
- Vulc. Non id probaret Iupiter,
Quem hoc ipsum rogavi.
Renuit et posthac se famulos *subditis invisos*
Retenturum negavit, ut nemo habeat,
Vnde Iovem saevitiae arguat.

Deinceps erit quilibet sua sibi fortunae faber.
 Si cudit fulmina, in suum caput cudit.
 Ipse sibi, non Iovi imputet, si decidunt
 Et fabrum perimunt.

Apoll. O Deum amantem! o amabilem! amemus!
 Laudemus!

Chorus

Ch. I. Magni dulcissimam
 Iovis clementiam,
 Musae, cantate!
 Sylvae, laudate!
 Per invios calles,
 Per montes, per valles
 Vbique audiantur,
 Vbique repetantur
 Tonantis decora!

Musae II. Vt Phoebus inter sydera,
 Sic inter Iovis decora
 Eminent Clementia.

Venat. Vt cedrus inter nemora,
 Sic Iovis inter decora
 Eminent Clementia.

Past. Quod dulcis lactis copia,
 Quod ovibus sunt pascua,

Fauni Quod gratae umbrae montium,
 Quod suave murmur fontium,

Vtrique Hoc Iovis est Clementia!

Omnes Vbique audiantur,
 Vbique repetantur
 Tonantis decora.

In Optimo et Maximo
 Laus optima, laus maxima
 Est de Clementia.

Actus quintus

Scena prima

Domitianus, Paulinus

- Dom. Illum Hispanum, ais, fuisse Fabium?
- Paul. Fuit. iamque donatus venia rursus Romanum induit et liber vagatur in Regia. quid si veterem calumniam in te regessisset et suis mendaciis uti prius populo, ita nunc Fratri fecisset invisum et hanc proditionis mercedem receperisset a credulo Caesare?
- Dom. Ah! quid dubitare me iubes? palam est. praesenti, audienti non timuit contumeliam facere; neque licuit respondere. quanquam nec potuissem etiam, cum stupefaceret linguam metus, ne forte irato excideret verbum, quo reverentiam laederem, quam debo Fratri. discessi silens commorsis labiis.
- Paul. Male tibi, Princeps, consuluisti tam reverente silentio. forte pro confessione habetur. de defensione et vindicta nunc cogita: pereant hostes tui et Caesaris. populum faventem habes, conciliatum ardore animi, quo urges proditorum supplicium. ne cessa. si tu tibi consistis, non cedet populus: coget Titum severum esse.
- Dom. Perge et currentibus calcar adde. sed <...>

Scena secunda

Domitianus *situs*

Aperitur aula.

- Dom. Vtinam, o Pauline, fecisset calumniam Fabius! nihil trepidaret innocens animus. at nunc, cum verum dixit, qua evado? crudelis Fabi, in quas me angustias coniecisti! pereat hora, qua tibi colloqui coepi! sed quid irascor aliis? ego sum reus, ego stulto deceptus ambitu appetivi ruinam. ego autem? tu rea es, Roma: tua me species rapuit! vos, Dii, rei, qui adeo extulistis Imperii Romani Maiestatem, ut, si unquam, certe pro hac vindicanda violari posse iustitia videatur. o deplorandam sortem mortalium, toties improvide agentium poenitenda! quodsi prudentis est, nunquam agere, cuius poenitere te possit, Superi! quam paucos prudentes numerat orbis terrarum! certe in horum numero nullus est ambitiosus; nunquam

enim ambitio est sine poenitentia. quanquam quid philosophari nunc prodest? serum est ista cogitare. aut expecto scilicet, donec publico condemnatus iudicio execrabilis Romae fiam? formidabilis malo. fiat, quod cecinit bubo; ibo in Hispaniam et revertar cum exercitu. vale Roma!

Scena tertia

Domitianus, Paulinus

- Paul. Princeps! vocaris ad Caesarem. strenue causam perage; populus omnis suppetias feret.
- Dom. Non ibo. Pauline vale.
- Paul. Et quid haec forma loquendi velit?
- Dom. Hunc solem, hanc diem odi aeternae meae infamiae testem. parricia dicar, demonstrer digito: hoc ferre possim? subduco me dedecori.
- Paul. Fugienti dedecus haerebit maius. quem armat sceleris ignara mens, omnem invidiam, omnes calumnias vincit.
- Dom. Nisi obruatur. relinquo ingratum Fratrem inter proceres prodidores. sentiat, quid sit alienis dare fidem, negare Fratri.
- Paul. Fugienti insistet Frater. non evades.
- Dom. Via est certa, qua evadam. haec sica faciet. i, hoc nuntia Tito: vivum saltem si Fratrem velit, omittat persequi fugientem.
- Paul. Pro atrox consilium! accede Fratrem, qui te vocat, per omnes te Divos obsecro!
- Dom. Quibus invisus sum!
- Paul. Per amorem Fratris!
- Dom. Qui me odit!
- Paul. Per odium, quo tuos et Titi et Romae inimicos persequeris!
- Dom. Quorum scelera non licet ulcisci!
- Paul. Per vota totius Reipublicae!
- Dom. Cui Domitianus infame nomen est! ah! quam vellem, Pauline, ut patiens consilii Frater severitate temperaret clementiam, ne Maiestas contemneretur impune. non audit. abeo, ne cogar spectator esse funestae, quam isti dabunt, Tragoediae aut etiam pars. aut putas, me non advertere, quid agatur? vita petitur Domitiani, ut me necato nudus prostet impiorum gladiis Titus. fugio. pereat Frater sine me, quia cupid me secum perire. vah!

Scena quarta

Personae eadem et Titus

- Titus Pauline, tu mihi huc Aemilium et Fabium advoca.
- Paul. Vt iubes, Auguste.
- Titus Frater! vocatus etiam renuis ad Fratrem ingredi. quid moliris?
- Dom. Pudor me vetat, Frater, et criminis conscientia tuum conspectum ferre. fugam moliebar. gratiae loco concede exilium pessima merito.
- Titus Nihil haec memineris: Fratres sumus. unum te posco, ut Fabio et Aemilio vivere per te liceat. rei sunt; neque mihi tantum, sed etiam tibi ultimas poenas debent, scio. tamen, quid facere te deceat, considera: exemplum dedi.
- Dom. Heu! quo me adigis, Frater? si non alia conditione mereor veniam, occide me! levius feram. viscera torquentur rabie: morior, nisi effundam. quid? ut per fraudem inducar ad scelus, ut strictis ensibus impetar, ut accuser malevole, inultus hoc feram?
- Titus Quid? ut Frater affectet imperium, ut immittat sicarios, ut sollicitet milites, inultus hoc feram?
- Dom. Si remittis, facis gratiam, Frater; si punis, non facis iniuriam. nihil contra ius, nihil contra leges expeto, si vindictam expeto.
- Titus Vindicta privatorum solatum est; Principis fortuna maior, maior animus. ego perire malo quam perdere, nisi forte perire quempiam totius Reipublicae referat. sed ecce, adsunt. Domitiane, ut ponas odia et placidus vivas, aequitas postulat, rogat Frater, Caesar imperat. vos agite, quod decet.

Scena quinta

Domitianus, Fabius, Aemilius

- Dom. Iactor miser! perfidi!
- Fab. Quid affligis te, Princeps! reos habes, et fatentes et in tua potestate. vindictam an veniam velis, tua est electio.
- Aem. Nos unum rogamus, ut eligas, quod rebus tuis utilius et tuo nomini gloriosius est. nihil de nobis solliciti, tibi, cupimus, ut velis consulere.
- Fab. Quid effusus te cruor iuvet? nempe voluptas est, exanimem inimicum videre? est aliqua, sed animalis, brevis, acerba. tigridum haec

ferocia est, ut in sanguine helluentur; generosi leones prostratum et supplicem sine noxa praetereunt. mox ut defervuit aestus iracundiae, quae brevis quaedam insania est, evanescit voluptas et velut leve somnium in auras abit; neque raro succedit tristis et sera poenitudo. ira iram parit, et ex uno necato dracone saepe seges inimicorum succrescit. pacem, amicos, Fratrem habes, si veniam dede-
ris.

- Aem. Et cum pace, cum amicis, cum Fratre gloriam habes immortalem. grandem animam nactus es, Domitiane, et natam ad summa. servire furori non decet. imbelles animae et, quibus informe iudicium est, facile irascuntur; quae causa est, quod celerrima sit ira infantium, pertinacissima foeminarum. vir sapiens et generosus nec subito commovetur nec diu. etiam cum iusta est irae causa, modum tenet.
- Fab. Quanquam vertamus stylum: age, irascere, Princeps, irascere, sed tibi primum, deinde nobis. tres rei sumus, at tu maxime: de te incipe ultionem. haec ira utilis, haec gloriosa est, haec magnanima. Super! quod facinus aggressi sumus barbarum, immane, atrox! stupet, Aemili, attonita mens ad execrandam audaciam.
- Aem. Quanquam nos Dominum tantum invasimus, tu Fratrem insuper.
- Fab. Ire lubet, Aemili, et obiicere nos furenti populo, ut meritas poenas demus.
- Aem. Ire lubet; sed pares nobiscum poenas, Princeps, dabis. veni fortis! plectatur commune scelus, mortem ultiro provocemus ad ultionem: haec ira decet.
- Fab. Haec ira decet! ira nobilis, ira heroica, irasci sibi.
- Dom. Vivite, amici! nihil mori iuvat: Tito vivamus simul. haec vita decet; vita nobilis, vita gloriosa, illi vivere, quem per ultimam impietatem cupivimus mori. amici estis.

Scena sexta

Personae eadem et Titus

- Titus Tandem audivi optatam vocem. moneatur Gracchus, ut populum introducat. dignus es, Frater, imperio, postquam didicisti imperare tibi. vive! impera! iam nunc te Collegam et haeredem nomino.
- Dom. Age, quid loqueris, Caesar! dignum solio dices, qui et vita et hac luce indignus est? cessa torquere miserum tam acerba obiurgatione impiae ambitionis. satis dolor, amici, et pudor torquent.
- Titus Cesset dolor, et pudor cesset. iniuriam remisi, famae consului: nihil de tuo crimine populus, nihil milites, nihil Senatus rescient. religiosum silentium imposui consciis et hac sola conditione vitae

gratiam obligavi. hoc superest unum, ut posthac, Frater, eodem erga me animo esse velis, quo fui et ero erga te, id est fraterno.

Dom. Ah! Frater!

Titus Desine querelarum. Caesar eris. atque ut digna hoc fastigio gloria principium Maiestatis consecres, et agnoscant subditi, quid de te sibi sperandum sit: quem contra reos concitasti, populum compone, Frater, et, ut meam clementiam laetis acclamationibus firmet, efficie. nulla est corona nobilior quam de cive servato; hac te orna, priusquam tibi imponam Caesaream.

Dom. Dii! quem Fratrem offendit et quem Dominum! servire impera, non imperare!

Titus Imperabis; sed tuo ex sensu disce, quam dulce sit imperare clementer.

Dom. Sentio. dent Superi, ut hic mihi sensus perpetuus sit!

Aperitur aula interior.

Scena ultima

Personae omnes

Gracc. Auguste, adest populus ad tua pronus imperia.

Omn. Vivite, Caesares! felices, victores, Patres, vivite!

Titus Placent vota, Quirites, si tamen sinitis clementes vivere.

Dom. Tumultuatum est satis. reis parcere Titus cupit, assentiri nos decet: parcatur.

Omn. Parcatur, liberi sunto.

Aem., Fab. Et nos Caesarum servi erimus fideles posthac et pii semper.

Titus Ego vero, cives, primum vobis gratias ago, quod tanta consensione, tanto animorum ardore et anxiis curis salutis meae habueritis studium. optandum hoc mihi periculum fuit, ut experirer, quantis vobis in amoribus sim; deinde, quoniam non sine mentis laetitia video, pari vos dilectione Fratrem amplecti, qui se hodie vestri amoris ducem praebuit et hortatorem: Domitianum Collegam Imperii et haeredem pronuntio.

Omn. Io! vivat Titus, vivat Domitianus! faveant Dii fraterno imperio!

Dom. Ad vestrum commodum impendar totus, Fratris exemplum sequar.

Titus Vobis vivimus, vobis regnamus. procede, Frater! vos in plausus ite.

Solium conscendunt, dum clauditur.

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1760 mit dem vollständigen Titel „TITUS IMPERATOR AMOR AC DELICIAE GENERIS HUMANI TRAGOEDIA DATA LUDIS AUTUMNALIBUS ANNO MDCCXXXI“; zusätzlich findet sich vor dem 1. Akt als Titel „TITUS IMPERATOR“. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/neum1/te01.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktions wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U* sowie *Coel-* statt *Cael-*, *lacyr-* statt *lachryr-*, *litter-* statt *liter-*, *Phoeb-* statt *Phaeb-*. An Einzelstellen zusätzlich groß geschrieben wurde: *Augusto*, *Campaniam*, *Coelum*, *Collegam*, *Comoedia*, *Concionem*, *Dominum*, *Ephebos*, *Flamen*, *Frat-*, *Furia*, (*Dii*) *Inferi*, *Maioribus*, *Maiestas*, (*Pontif-*) *Maxim-*, *Minister*, *Palatio*, *Pat-*, *Patres Patriae*, *Proceres*, *Romam*, *Segetes*, *Servus (Fabii)*, *Superi*, *Stygem*, *Stygias*, *Tra-goedia*, *Venatoribus*, groß belassen in Anrede *Here*; klein dagegen: *aemulis*, *amici*, *aula*, *cada-ver*, *caedis*, *calamitas*, *carmina*, *cives*, *clementiam*, *conchas*, *consilia*, *confessio*, *corde*, (*ut*) *ego*, *familia*, *fato*, *filius*, *irrisore*, *iustitiae*, *legem*, *leones*, *muli*, *nemora*, *parens*, *politica*, *quadrupla-toribus*, *religio*, *sicari-*, *tyrannus*, *verum*, *vindicis*. Uneinheitlich belassen wurde *Im-/imperium* sowie bei unterschiedlichen Sprechern *saev-/soev-*, *vaenum/voenum*.

Im Argumentum wurde der Zusatz *Suetonius* statt Kursivdruck in Klammern gegeben. Im Darstellerverzeichnis wurden die Götter des Prologs und der beiden Chöre sowie *Agasones*, *Camil-lus*, *Rutilius*, *Brutus*, *Lentulus* und wie z. T. vor den Szenen die Zahl der *Legati* ergänzt (im Prolog auch *Nympharum*, bei Ch. I. *Faunus* und die drei Kyklopen). Gestrichen wurde jeweils *Personae* zur Einleitung der Darstellernennung vor den Szenen sowie die erläuternden, aus dem Darstellerverzeichnis wiederholten Zusätze 1,1 *Tribunus plebis* und *Filioli Patritiorum*, 2,1 *Militiae Praefectus*. Die Nennung der Darsteller wurde geordnet, so 1,1 statt *TDGBRCL* mit *Legati Campaniae* statt *Campaniae Legati*, *supplices Cives* statt *Supplices cives*, 1,6 AF, 2,1 *PGCSiS*, 2,2 *DL*, 2,5 *AG*, Ch. I. *AD*, 3,1 *AG*, 3,6 *TD*, 4,1 *FS*, 4,2 *FAL*, 4,5 *TDFP*, 4,7 *FS*, Ch. II. *DAp-V AeAdMFPV*, 5,3 *PD*, 5,5 *DAF*. Zusätzlich als Anmerkungen gegebene Regieanweisungen wurden im Text gedruckt, die Anweisungen *Abit Titus* und *clauditur* wurden vom Anfang 4,7 ans Ende von 4,6 verschoben, ebenso *saltus* von 4,1 nach 3,7.

Prol.	<i>tua, Phoebe</i> statt <i>tua, Poebe</i>	CAMENA
1,5	<i>agentur</i> statt <i>agent</i>	CAMENA
1,6	<i>absorbitus</i> statt <i>absorptus</i>	CAMENA
Ch. I.	<i>iuva</i> statt <i>iuve</i>	CAMENA
3,1	<i>Tribunus plebis</i> statt <i>Tribunusplebis</i>	CAMENA
5,5	<i>defervuit</i> statt <i>deferbuit</i>	CAMENA
5,7	<i>Domitianum</i> statt <i>Dominianum</i>	CAMENA

2,5 wurden ‘Anführungszeichen’ gesetzt, ebenso im Argumentum für kursive *Amor ac Deliciae Generis humani* (entsprechend für normales am Anfang von 2,1, 3,1) sowie 1,3 für das kursive Zitat; 4,6, 5,1 ‘...’ hinzugefügt. Unnötige ‘Kommata’ vor *et*, *atque* usw. wurden gestrichen, unpassende ‘Doppelpunkte’ ersetzt, ‘Gedankenstriche’ statt ‘Klammern’ verwendet. Auf eine de-taillierte Dokumentation aller Eingriffe in die Interpunktions sei hier jedoch verzichtet.